

simplices, vel compositæ. Simplicium materia est mel, quod tantisper coquitur, dum crassescat & inspissetur. Tunc vero satis coctum est, quando super orbem stanneum aut lapidem marmoreum effusum concrevit; & ficus arida inuersa. Fiunt etiam ex lardo falso, conciso ad longitudinem minimi digiti; ex seuo, candela, ex saponis albi  $\zeta \beta$ . ex radice aliqua, succum lentum habente, vt altheæ, maluæ, vel quæ nitrositatem habent, vt betæ, mercurialis, bryoniæ, brassicæ excorticatæ, quæ vt facilius subeant, vsus tempore, vel butyro, vel oleo, vel adipe, vel axungia illinuntur. Fiunt etiã ex caulibus herbarum detergentium, vt betæ, brassicæ, mercurialis. Nonnulli mercurialis folia contusa in anum intrudunt. Hinc Aetius *k*, *optima glandula fit ex foliis mercurialis viridibus tritis*. Alii amygdalas saccharo obductas, aut trochiscos saccharatos indunt. Fiunt & simplices ex allio solo ad flatum discutiendos, in pueris præsertim. Sed quia ad irritandã facultatẽ expultricẽ tam simplices interdũ non sufficiant, vel propter facultatẽ expultricem pigram, vel propter partis obtusorem sensum, tum glandes lenes, sed compositæ fiunt ex melle, addito sale ad acuendam vim glandis, maxime in pueris, quibus & salis *l* grumus inditus, cepaque & porrum capitatum sufficit. Dosis est ad  $\zeta . j$ . mellis, salis communis pulueriz.  $\zeta \beta$ . vel  $\zeta . j$ . quæ simul coquuntur. Et hoc est suppositorium cõmune appellatum in officinis. Sed aduertendũ, vt in conficiendis suppositoriis ex melle cocto & digitos & omnia instrumenta, quib. vteris, prius oleo aut butyro inungas, nisi omnia tam digitis quã instrumentis adhærere velis. Alii

*k tetr. 1.*  
*ser. 3. c. 360.*

*l Aegin. O-*  
*ribas. Ae-*  
*rius.*